

CONSTITUTIONES

CAPITULI CATHEDRALIS
LABACENSIS

LABACI MCMXXIV

SUMPTIBUS CAPITULI CATHEDRALIS LABACENSIS

S MC 299 p7



D. 91013015354

Proemium.

Venerabile Capitulum cathedrale Labacense unacum sede episcopali ab imperatore Friderico III., duce Carnioliae, litteris foundationis, datis die 6. mensis Decembris Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo primo erectum et fundatum ac Bulla apostolica Pii Papae II., edita Pientiae die 6. Septembris anno 1462., confirmatum est. Iam primo hoc fundatoris Illustrissimi actu fundamentum est positum, quo nitens Venerabile Capitulum cathedrale Labacense finem sibi praestitutum attingere posset. Propositis nempe obligationibus, quas Illustrissimus fundator Capitulo iniunxit, diploma foundationis prosequitur:

»Idem etiam Episcopus, Praepositus, Decanus, Canonici et Vicarii alias ecclesiasticas disciplinas ac bonos mores observare ac in omnibus laudabilem vitam ducere debebunt, prout in eorum statutis et ordinationibus desuper rationabiliter edendis videbitur contineri. Quas quidem ordinationes et statuta praedicti Episcopus, Praepositus, Decanus, Canonici et Vicarii corporaliter iurabunt se firmiter et inviolabiliter observaturos...«

Sed quando primo tales constitutiones a Capitulo propositae et ab Episcopo approbatae sint, ex actis in archivo exstantibus colligi non potest. Primum, quod exstat, exemplar statutorum capitularium anno 1519. conscriptum est. Constitutiones ibi comprehensae dein anno 1574. speciali cura et auctoritate Episcopi Conradi Glusitsch (propterea constitutiones Conradinae nuncupatae) confirmatae sunt. Utrum ab istis temporibus novae constitutiones a Capitulo compositae sint necne, non liquet.

Recte vero plura monumenta historica testantur, quam magni istae constitutiones primaevae in Capitulo aestimatae sint. Ast cum tempore procedente potius humana fragilitate quam mala voluntate prima vitae disciplina sensim langueretur, diversis visitationibus apostolicis cum leges exstantes Venerabili Capitulo cathedrali de novo in memoriam revocabantur et confirmabantur, tum nova decreta novis temporibus rebusque plus minusve aptata in lucem prodierunt. Sic hodie quoque fausta tenentur memoria decreta visitationis apostolicae, quae a Fr. Sixto Carcano Ord. Praedic., Episcopo Germanicensi, Visitatore apostolico, Anno Domini 1621. peracta est cuiusque decreta postea ab Eminentissimis DD. Cardinalibus Millino et S. Susanna ex commissione SS. D. N. Gregorii XV. revisa, approbata ac confirmata sunt.

Posterioribus temporibus magni momenti habebatur decretum visitationis Capituli et Ecclesiae cathedralis, peractae anno 1775. a principe Episcopo Carolo ex comitibus de Herberstein, cuius nonnulla statuta hodie quoque servantur. Sub finem dein saeculi XVIII. regnante Celsissimo Principe Michaeli I. b. de Brigido, primo Archiepiscopo Labacensi, iterum conatus facti sunt, ut regulae et ordinationes, quae annuente Sancta Sede, Reverendissimo loci Ordinario nec non Augustissimo Terrae Principe iam ab anno 1514. pro Canonicis eorumque officialibus emanarunt, novo temporum statui haudquaquam amplius consentaneae, meliorem et huic aevo magis accomodatam in modum redigerentur. Sed quantum ex actis constat, res infeliciter tentata ad finem non est perducta. Inde evenit, ut praesertim initio saeculi XIX. ratione temporum, praecipue redituum beneficialium et substantiae ecclesiasticae diminutione, constitutiones primae, eae maxime, quae sacra respiciunt, oblivioni darentur et quoad iura et obligationes Canonicorum diversae consuetudines exorirentur. Consuetudines istae et observantiae quasi unicum fontem constituebant, ex quo regulae vitae canonicae hauriebantur. Quam ob rem decurrente saeculo XIX. antistites ordinarii saepe saepius suaviter et fortiter insistebant, ut constitutiones Capituli in codice conscriberentur, ita ut lex vivendi non solum

certa existeret et determinata, verum etiam rerum temporumque circumstantiis adtemperaretur; demum S. Congregatio Concilii Tridentini interpretum rescripto dato die 24. Februarii 1905 desiderium suum exposuit, ut Capitulum nova statuta, quibus chorale servitium ad iuris et foundationis normam magis concinne ordinaretur, conficeret. Quae cum ita essent, Capitulum cathedrale anno 1909. nova statuta condidit, quae a Reverendissimo Episcopo Labacensi, dr. Antonio Bonaventura Jeglič, vigore facultatum a Sede Apostolica die 22. Februarii 1910 obtentorum, die 19. Martii 1910 approbata sunt impertitis dispensationibus necessariis.

Cum autem anno 1917. Codex iuris canonici, Pii X. Pontificis Maximi iussu digestus, a Benedicto Papa XV. promulgatus a die 19. Maii 1918 vim obligandi habere coepisset et S. Congregatio Concilii litteris circularibus de die 25. Julii 1923 Capitulis canonicorum mandasset, ut statuta sua ad normas novi iuris emendarent, Capitulum cathedrale huic mandato obtemperans statuta sua sacris canonibus conformavit, paucis exceptis, super quibus Sancta Sedes anno 1920. dispensationes ad decennium concesserat.

Labaci, die 18. Februarii 1924.

Constitutiones.

I.

De statu personali Capituli cathedralis Labacensis.

Capitulum cathedrale Labacense nunc constat duodecim praebendis canonicalibus, quarum sex anno 1461. una cum Dioecesi Labacensi ab imperatore Friderico III., ceterae sex a variis fundatoribus, a quibus nomina sua traxerunt, fundatae sunt. Canonicatus Kürnbergianus fundatus est anno 1704.; Wollwitzianus a. 1704. et Flachenfeldianus a. 1721., qui duo propter tenuitatem reddituum in unum contracti sunt anno 1825.; Lambergianus a. 1708., Codellianus a. 1718., Schüfferianus a. 1731., Čemažarianus a. 1867.

Eminent inter ceteros Canonicos Praepositus mitratus et Decanus mitratus; quae duae dignitates adnexae sunt duabus praebendis canonicalibus foundationis Fridericianae.

II.

De fine et officiis Capituli.

Capitulum cathedralae ideo institutum est, ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat et ut Episcopum ad normam sacrorum canonum, tamquam eiusdem senatus et consilium, adiuvet, ac, sede vacante, eius vices suppleat in dioecesis regimine.

III.

De officio divino.

A. De Missae sacrificio et aliis functionibus sacris.

1. Quotidie in Ecclesia cathedrali una Missa persolvitur pro Serenissimis fundatoribus. Diebus ferialibus post Primam et Tertiam in choro recitatas Missa con-

ventualis celebratur sine cantu a chori vicariis vel aliis sacerdotibus. Qua finita recitantur Sexta et Nona. Tempore hiemali i. e. a Dominica I. Adventus usque ad fer. IV. Hebdomadae maioris horae recitantur inter Missam conventualem diebus ferialibus. Diebus dominicis et Festivis Horae ante concionem persolvuntur, Missa vero conventualis post concionem a Canonicis per turnum celebratur ritu solemniori.

2. Singulis quatuor anni temporibus pro Serenissimis fundatoribus eorumque praedecessoribus, haeredibus et succesoribus nec non pro omnibus fidelibus defunctis ex litteris fundatitiis a Canonicis per turnum peragenda est Missa sollemnis de Requie cum absoluteione ad tumbam.

3. In obitu cuiuscunque Canonici Capitulum faciet officium exsequiale. Item quotannis post Commemorationem omnium fidelium defunctorum celebrabitur Missa sollemnis de Requie pro defunctis P. T. Episcopis ac Capitularibus Ecclesiae huius cathedralis.

4. Sequentes functiones sacrae a Canonicis peraguntur per turnum:

a) Missae sollemnes in Ecclesia cathedrali exceptis Missis sollemnibus Sabbati sancti et Vigiliae Pentecostes, quas una cum benedictione fontis baptismalis persolvit Canonicus parochus-vicarius, et Missis de Requie non fundatis pro privatis, quae item pertinent ad Canonicum parochum-vicarium. Missae sollemnes Rorate novem diebus ante Nativitatem Domini incipiente Canonico iuniore.

b) Missae coram exposito Sanctissimo diebus Dominicis et Festis.

c) Litaniae vespertinae sollemnes per novenam ante Nativitatem Domini et per octavam Corporis Christi incipiente Canonico iuniore.

d) Processio et Missa sollemnis in festo S. Marci Ev. est officium Canonici parochi-vicarius, feria II. Rogationum Canonici senioris, feria III. Rogationum Decani, feria IV. Rogationum Praepositi.

5. Episcopo in sacris functionibus in quavis Ecclesia civitatis Labacensis aut suburbii ab eo invitati assistunt

duo vel quatuor Canonici iuniores, in Missa pontificali solemniori insuper Praepositus ut presbyter assistens; quo impedito Decanus et hoc etiam deficiente Canonicus senior ex praesentibus.

6. Festis solemnioribus Canonici Episcopum in ingressu ad Ecclesiam et in reditu omnes comitantur, in ingressu et reditu minus solemniori duo tantum iuniores.

B. De horis canonicis.

1. Matutinum et Laudes.

Matutinum cum Laudibus per ipsos Canonicos cum venia S. Sedis in festis tantum solemnioribus pridie recitatur in choro. Haec festa sunt: a) Immaculata Conceptio B. M. V., b) Epiphania Domini, c) Ascensio Domini, d) Pentecoste, e) Festum Corporis Christi, f) Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli, g) Assumptio B. M. V., h) Festum Omnium Sanctorum. Sacra vero nocte Nativitatis Domini et ante Festum Paschatis Matutinum, sacro Triduo hebdomadis maioris et in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum Matutinum cum Laudibus cantu gregoriano persolvitur, accitis clericis Theologiae studiosis.

2. Horae diurnae.

Horae diurnae: Prima, Tertia, Sexta, Nona mane, Vesperae cum Completorio vero post meridiem, excepto tempore quadragesimali, ubi agitur Rubricis consentaneae, a Canonicis quotidie in choro publice recitantur. Festis autem solemnioribus, quibus Ordinarius in Cathedrali Missam pontificalem celebrare solet, primae et secundae Vesperae in choro cantantur iuxta praescriptiones Ecclesiae liturgicas a clericis Theologiae studiosis praesente Capitulo cathedrali.

Reliquas partes pensi canonici a singulis Capitularibus quotidie privatim recitari oportet.

3. Officium defunctorum.

Officium defunctorum pro Serenissimis fundatoribus recitatur in choro singulis quatuor anni temporibus et quidem Vesperae pridie, Nocturnus cum Laudibus die ipsa immediate ante Missam solemnem de Requie a Canonico per turnum celebrandam.

C. De praesentia Canonicorum in choro.

Cum Canonici strictissime obligentur, ut servant, quae cultum divinum spectant, ideo studeant tota animi contentione singuli, ut horis canonicis et ceteris divinis officiis ac functionibus, quibus interesse debent, intersint, nisi iusta causa excuset. Huic obligationi per alios satisfacere nequeunt (can. 419).

Specialiter tamen praesentia Canonicorum in choro, nisi legitime excusentur, exposcitur:

1. Ad omnes Missas solemnes vel pontificales, quae diebus dominicis et festivis a Canonicis pro Serenissimis fundatoribus vel ab Episcopo in Ecclesia cathedrali hora decima celebrantur, nec non ad Missam conventualem, quae omnibus diebus ferialibus post Tertiam in Ecclesia cathedrali legitur.

2. In Anniversariis, quae a Canonicis per turnum singulis quatuor anni temporibus pro Serenissimis fundatoribus litantur. Item ad Missam solemnem de Requie, quae pro p. t. Episcopis et Capitularibus post Commemorationem omnium fidelium defunctorum quotannis celebratur.

3. In publicis processionibus: Festo S. Marci, diebus Rogationum, Sabbato sancto et solemnissima festivitate Corporis Christi.

4. Ad functiones sacras in festo Purificationis B. M. V., feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, feria V. in Coena Domini, feria VI. in Parasceve, Sabbato sancto et Vigilia Pentecostes.

Punctator ad notandas absentias a divinis officiis est Decanus; quo absente senior e Canonicis, qui adsunt.

Legitimae absentiae causae sunt, quae canonibus 420 et 421 enumerantur.

Cum in Capitulo cathedrali Labacensi nullae sint distributiones quotidianae neque introduci possint, Episcopus singulos illegitime a choralis servitio absentes iuxta can. 395, § 2. mulctare potest.

IV.

De Canonicis universim.

Canonici Capituli cathedralis dignitate primum post Episcopum locum in clero dioecesano tenent. Inter Canonicos autem praecedentia competit dignitatibus, quarum prima est Praepositus, secunda Decanus. Ceteri Canonici inter se praecedunt iuxta prioritatem installationis.

Officium autem singulorum Canonicorum est, ut leges residentiae apud hanc Ecclesiam cathedralem ad amussim observent, Horis canonicis, Missae conventuali et aliis functionibus choralibus devote et reverenter intersint, atque Reverendissimo Episcopo non tantum in actionibus publici cultus divini debitam associationem et assistentiam praestent, sicut in Caeremoniali Episcoporum et in Pontificali Romano provisum est, sed etiam in negotiis dioecesanis discutiendis vel impensius peragendis, quatenus Celcissimus oportere censuerit, tum consilio tum opera praesto sint.

Omnis clericus ad canonicatum vacantem nominatus vel praesentatus post institutionem tituli collativam ab Episcopo vel Summo Pontifice obtentam, ab eodem Episcopo in Ecclesia cathedrali coram universo Capitulo solemniter iuxta formam iam diu usitatam installatur.

Ad hanc installationis formam pertinet primum perlectio decreti nominationis vel praesentationis; dein installandus emittit professionem fidei secundum formulam a Sede Apostolica approbatam, postea ab Episcopo induitur insignibus canonicalibus et demum ducitur ad sibi destinatum sedem in choro. Hymnus Ambrosianus ab Episcopo intonandus et a choro prosequendus solemnitati finem imponit.

Installatus Canonicus ad norman can. 405, § 1. omnibus iuribus et privilegiis Canonorum Ecclesiae cathedralis Labacensis gaudet.

In prima, cui intererit, sessione capitulari, etsi sit dignitarius, iusiurandum dare tenetur his verbis:

»Ego... anno... die... ad Ecclesiae cathedralis Labacensis canonicatum nominatus (praesentatus) atque a Celsissimo ac Reverendissimo Episcopo Labacensi per decretum de die... ad dictum canonicatum praesente Venerabili Capitulo canonice institutus, iuro Celsissimo ac Reverendissimo Episcopo N. totique Venerabili Capitulo cathedrali in solidum reverentiam et obedientiam canonicam. Promitto etiam, me statuta Venerabilis Capituli, quae in usu sunt vel in futuro a gremio Venerabilis Capituli cum consensu et approbatione Celsissimi ac Reverendissimi Domini Ordinarii edita fuerint, quemadmodum et consuetudines laudabiles firmiter observaturum et observari procuraturum, nec non bonum Capituli quavis occasione promoturum, eiusque secreta servaturum nec extraneis revelaturum esse. Promitto denique, me omnes divisiones et conspirationes in Capitulo fideliter fugere et vitare velle. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.«

In functionibus chori et quando in sacris functionibus capitulariter incedunt, Canonici iugiter veste talari, rocchetto et mozzeta rubra ex panno serico utuntur. Sacro Quadragesimae et Adventus tempore sit illis mozzeta ex lana coloris violacei, quam tamen in festo S. Joseph, Annuntiationis B. M. V. nec non ad matutinam functionem Feriae quintae in Coena Domini, sicuti dum Celsissimus Ordinarius pro festo S. Nicolai et Immaculatae Conceptionis solemnia Missae celebrat, tantum deponant et serica induantur. Insuper gestant supra mozzetam de catenula aurea dependentem crucem parvam auream cum corona in medio cum effigie S. Nicolai Ep. C. ex una et B. M. V. in coelum assumptae ex altera parte.

Utuntur porro Canonici collari cerasini coloris, veste talari nigra filo purpureo praetexta, birreto rubro, cingulo sericeo rubri coloris, fimbriis aureis et rubris proviso et annulo, gemma distincto, qui penultimo manus dexteræ digito aptatur.

V.

De residentia.

Tenore canonis 418 Canonicis Ecclesiae cathedralis Labacensis praescribitur, ut quovis anno solari integris novem mensibus, mensem ad triginta die computando, adeoque ducentis septuaginta diebus, sive continuis, sive interpolatis penes aliam Cathedralē personaliter resideant, adeoque ultra tres menses per annum a loco canonicatus abesse non praesumant.

Quoad trimestre vero, quo ad residentiam adstricti non sunt, talis fiat dispositio a Decano, ut ipsius Capituli non absit ultra tertiam partem nec dies vacationis incidant in Adventum, in Quadragesimam, in dies Nativitatis et Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi (can. 338, § 3).

Si quis ex Canonicis ad plures dies discedere cupiat, admoneat Decanum, Decanus vero aut Praepositum aut Capitulum de sua discessione certiozem reddat.

Negligentiam Canonicorum in residendo eorumque contumaciam Decanus denuntiet Episcopo, qui deinde procedit ad normam can. 2381, 2168—2175.

VI.

De Praeposito Capituli.

Praepositus primam Capituli dignitatem tenet; hinc pro maiori eiusdem decore utitur infula honoris ex gratia Pauli V. Summi Pontificis et ex concessione Ordinarii baculo pastoralis.

Officium Praepositi est, Capitulum ad extra representare, congregationes capitulares convocare, eisque praesidere, negotia peragenda proponere, et executioni

mandare, quae secundum maioris partis suffragia decreta sunt. Ad ipsum quoque pertinet, absente vel impedito Episcopo functiones sacras in solemnioribus anni festivitatis peragere, quod ipso impedito praestandum est a Decano et hoc etiam deficiente a Canonico Seniore.

VII.

De Decano Capituli.

Decanus secunda in Capitulo cathedralis Ecclesiae est dignitas, gaudens cruce pectorali et infula.

Eius est Ecclesiam, chorum et Officium dirigere, defectus et levitates, quae in psallendo occurrunt, corrigere, officia in Ecclesia distribuere, vicariis sacerdotibus et clericis circa Dei et Ecclesiae servitium modum praescribere, ut caeremoniae et ritus ecclesiastici, qui ad Dei cultum pertinent, diligenter et uniformiter observentur, curare.

Item ex suo munere est administrator temporalium Ecclesiae cathedralis. Propterea de redditibus et expensis singulis annis rationem ponat ab Ordinariatu confirmandam. Decani curae et vigilantiae commissa est conservatio Ecclesiae cathedralis eiusque provisio de necessariis parametis et suppellectili. Quapropter Ecclesiam omnemque eius suppellectilem quotannis perlustret, ut quae reparanda aut providenda occurrant, conficiantur.

Quodsi Decanus quacunque ex causa hoc suum opus perficere nequeat, e gremio Capituli ipsi eligatur substitutus, qui in administrandis temporalibus et providendis necessariis vices eius geret.

Archivum, in quo ponuntur inventarium omnium scripturarum, litterae foundationum Ecclesiae et altarium, item pretiosa sacristiae paramenta, claudatur duabus seris, quarum clavem unam habeat Decanus, alteram Praepositus; quando abest, habeat eam senior ex Canonicis.

VIII.

De Canonico Poenitentiario et Theologo.

Deficientibus peculiaribus praebendis pro Canonico Poenitentiario necnon Theologo, quas can. 398 expostulat, mos invaluit, ut Episcopus pro suo arbitrio illum e gremio Capituli cathedralis Canonicum qua Poenitentiarium vel Theologum eligat et nominet, quem pro hoc officio dignissimum et aptissimum pro conscientia sua reputaverit. Poenitentarius autem et Theologus Canonici ita electi et nominati sedulo contendant adimplere sua quisque officia secundum canones 399, 400, 401, salvis ad normam can. 420, §1, 2º et 3º exemptionibus a choraliservitio.

IX.

De Canonico parochoviciario.

Cum ecclesia cathedralis S. Nicolai Labaci simul sit paroecialis et regimen parochiae ad capitulum cathedrale pertineat, parochum-vicarium praesentat capitulum cathedrale e suo gremio canonicum, quem Episcopus, si idoneum iudicaverit, instituet.

Canonicus parochus-vicarius in parochia Ecclesiae cathedrali annexa animarum curam exercet, cuius partes praecipue sunt: Praedicatio verbi divini, instructio religiosa fidelium, administratio sacramentorum, applicatio Missae parochialis pro populo, celebratio cultus divini publici iuxta sancita dioecesana et conscriptio librorum parochialium. Munus suum exercet adiuvantibus cooperatoribus parochialibus et concionatoribus Ecclesiae cathedralis cum omnibus iuribus veris parochis competentibus, ita quidem ut ceteri Canonici se in curae animarum exercitium nullo modo immiscere valeant. Canonicus parochus-vicarius, dum paroecialibus vacat officiis, ad normam can. 420 excusatur a choro. Relationes inter Canonicum parochum-vicarium et Capitulum definitae sunt. can. 415.

X.

De Canonico cancellario.

Canonicus cancellarius, e numero Canonicorum foundationis imperatoris Friderici III. ab integro Capitulo eligendus, acta Capituli accurate notare ac describere et fideliter conservare tenetur. Ipse ex officio suo est administrator mensae communis et vacantium canonicatum supradictae foundationis. Officium eiusdem etiam est curam habere, ut funera Canonicorum rite persolvantur.

XI.

De chori vicariis et sacrista.

Vicarii chorales simulque cooperatores parochiales quoad chorum Decano et quoad curam animarum parcho-vicario subiecti sunt. In Missis et aliis functionibus solemnibus, praesertim pontificalibus dignitatum Capituli assistere et alternatim in choro officium intonationis adimplere tenentur.

Sacrista e numero vicariorum recipiendus Decanum in administrandis temporalibus Ecclesiae cathedralis adiuvari tenetur. Tempore Missarum et sacrarum functionum semper in sacristia permanere et invigilare debet, ut omnia suo tempore secundum ordinem et modum praescriptum peragantur et necessaria semper parata sint. Ad sacristam quoque pertinet providere, ut dies peractionis Missarum fundatarum accurate in libro ad hoc destinato inscribantur, quem peracto quolibet semestri Decano inspiciendum exhibeat.

Praecipuum sacristae munus est invigilare, ut tota Ecclesia, altaria, paramenta et vasa sacra semper munda et nitida sint, sordida autem et attrita restaurentur. Imprimis circa tabernaculum SS. Sacramenti, Fontem baptismalem, sacrorum Oleorum asservationem diligentissimam curam adhibeat. Sacristae quoque officium est attendere, ut in sacristia semper debitum silentium servetur, et ut aeditui et pueri ministrantes officiis suis diligenter satisfaciant seque modeste et quiete gerant.

XII.

De archivo Capituli.

Archivum, acta continens variam fortunam Capituli eiusque singulorum membrorum concernentia, exactissima cum cura in domo Praepositi vel ubi pro tempore a pleno Capitulo decisum fuerit tuto et apto loco asservetur. Omnia documenta, scripturae, libri ad Capitulum spectantes in armariis archivi bene disposita custodiantur. Ad archivum, quod speciali Canonici cancellarii curae derelinquitur, nemini extraneo soli accessus permittatur, neque cuidam scripturae aut libri ad usum privatum exhibeantur aut commodentur, nisi cum licentia Capituli et accepto prius debito »recepisse«.

XIII.

De sessionibus capitularibus.

Capitulum congregatur ad resolvenda negotia capitularia, ut quae ad regimen Capituli et bonum Ecclesiae cathedralis spectant, tractentur et definiantur. Sessionibus praesidet Praepositus, eo absente Decanus, utroque absente Senior e Canonicis praesentibus. Sessiones Capituli sunt ordinariae, quae tertis diebus fiunt ad quasque habendas non est necessaria specialis convocatio, et extraordinariae, ad quas vocandi sunt omnes et singuli Capitulares Labaci degentes triduo ante sessionem habendam indicta in scripto materia pertractanda. Etiam pro sessionibus ordinariis materia pertractanda Capitularibus triduo ante notificanda est. Sessio extraordinaria habenda est, quando necessitas urget vel Praeposito aut saltem tribus Canonicis id exoptatum videtur.

Quando agitur de re gravi et periculum non sit in mora, ad Capitulum extraordinarium per litteras vocandi sunt etiam Canonici legitime absentes, et quidem tot ante dies, quot necessarii sunt itineri commode faciendo. Absens Canonicus, qui absque licentia abiit, quin locum commorationis indicaverit, iure suo decessisse censetur.

Ad quodvis Capitulum omnes Canonici Labaci degentes convenire tenentur et sine legitima, iusta et gravi causa se ab eo eximere non valent. Negligentes Praepositus admoneat et incorrigibiles Ordinario deferat.

Si quis Canoniorum Labaci praesens tempore statuto in loco sessionis capitularis non comparuerit, eiusdem nulla ratio habenda est, quia reliqui Canonici Capitulum constituunt et ab his gesta valent, ac si ab omnibus acta fuissent. Similiter procedendum est, si Canonicus absens et per litteras citatus, ad Capitulum non accesserit. Perlegendae autem sunt in Capitulo litterae citatoriae atque votorum maiori parte decernendum est, tempus conficiendo itineri determinatum fuisse sufficiens.

Praepositus congregato Capitulo proponit negotia pertractanda, quibus propositis auditur opinio singulorum incipiendo a iunioribus. Postremo praeses suam aperit sententiam, quo facto colliguntur suffragia seu vota, quae, nisi agitur de rebus levioris momenti, praestantur secreto, ut quisquis, prout sentit, sine aliquo respectu aut timore suffragium suum proferat.

Quando agitur de electione ad aliquod munus, Capitulum procedat secundum canones 160—182.

Electio Vicarii capitularis fiat ad normam canonum 432—434.

Decisio, a praeside in fine promulganda, fit per absolutam maioritatem votorum Canoniorum praesentium, ad quam requiritur ultra dimidiam partem votorum saltem votum unum. Post duo inefficacia scrutinia id valorem habeat, quod placuerit parti relative maiori in tertio scrutinio. Quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat aut, si agatur de electionibus et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine vel prima professione vel aetate. (Can. 101, § 1, 1^o).

Canonicus de cuius speciali causa in Capitulo agendum est, proposita causa a loco Capituli se retrahere debet, donec res discussa et finita fuerit.

De iis, quae in Capitulo dicuntur et aguntur, silentium erga extraneos religiose servandum est, ad quod

se Canonici in receptione sua ad Capitulum interposito iuramento obligant.

Acta Capituli a Canonico cancellario accurate notanda et scribenda sunt in libro resolutionum, qui in archivo capitulari reponatur et custodiatur.

XIV.

De constitutionum observatione.

Cum inane sit vanumque condere leges, nisi ab his, quibus datae sunt, serventur: ideo omnes et singuli Capitulares praesentes et futuri haec statuta sancte et inviolabiliter servare, iisque sese omnino conformare tenentur. Ut autem statuta haec ante oculos Capitularium posita, eorumque cordibus veluti impressa, vim legis obtineant, unusquisque Capitularis exemplar horum statutorum sibi procuret saepiusque perlegat. Exemplar istud Capitulo est tradendum, quotiescunque Canonicus decesserit, ut successor in installatione tradi possit.

Ne constitutiones, quas se servaturos esse Canonici iureiurando promittunt, obliterentur, sed semper memoria teneantur, ineunte quolibet anno in pleno Capitulo publice perlegendae sunt.

Si quid vero obscurum vel dubium vel minus conveniens usu fuerit compertum, id re mature perpensa Capitulum declaret supleatque omnium consensu et approbationi Celsissimi ac Reverendissimi Antistitis substernat.

Si quae alia sunt in Codice iuris canonici a Canonici observanda, quorum in his statutis non fit mentio, observabuntur ad normam iuris communis.

Approbatio.

N. 2550.

Praesentes constitutiones Capituli Cathedralis Labacensis ad norman Can. 410, § 2., hisce approbamus. De rebus, in quibus constitutiones non congruunt cum iure communi, provisum est dispensatione Apostolicae Sedis ad decennium per rescriptum S. Congr. Conc. de die 26. Maii 1920 N. I. 270/20.

E Curia Episcopali Labaci,
die 28. Julii 1924.

L. S. † Antonius Bonaventura m. p.,
Episcopus.

Dispensationes.

Celsissimus ac Reverendissimus Dominus Dr. Antonius Bonaventura Jeglič, Episcopus Labacensis, a sacra Congregatione Concilii facultate de die 26. Maii 1920, N. I., 270/20, obtenta, decreto de die 4. Augusti 1920, N. 3477, sequentes dispensationes ad decennium concessit (prolongavit):

1. Dispensationem a 2. et 3. Missa in diebus ferialibus et Vigiliis.

2. Dispensationem ab applicatione Missae conventualis, ita ut pro serenissimis fundatoribus missam privatam ad quodcumque altare et quacumque hora applicare liceat.

3. Dispensationem ab obligatione recitandi in Choro Matutinum cum Laudibus, exceptis iis festis principalioribus, quae in Statutis enumerantur.

4. Dispensationem ab obligatione Missam conventualem et Officium peragere cum cantu, exceptis diebus festivis, qui in Statutis excipiuntur.

5. Approbationem consuetudinis hucusque vigentis, quod cancellarius semper canonicus sit foundationis Fridericianae, utpote qui simul massam his canonicis communem administrat.

6. Approbationem usus, quod Canonici poenitentiarius et theologus ab Episcopo eligantur, cum nullum beneficium pro canonico poenitentiario et theologo praesto sit.

7. Dispensationem, ut tempore hiberno, i. e. a prima Dominica Adventus usque ad feriam IV. Maioris hebdomadae horas diurnas inter Missam conventualem recitare liceat.

Slovanska-skladišče

6S M

C 29987



91013015394

COBISS ©